



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXLIX. Calamitates Octo Beatitudinibus Oppositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCXLIX.

*Calamitates Octo Beatitudinibus**Opposita.*

Matth. 5. Luc. 6.

PUNCTUM I. Considera, Christum quatuor Beatitudinibus, quas præcedenti Meditatione ad perfectionem Amoris Divini pertinere diximus, opposuisse totidem Calamitates. In eadem enim Concipiente, Matth. 5. & Luc. 6. relata, illis, qui non sunt Pauperes Spiritu, minatus est: *Veruntamen vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Luc. v. 24. Non Lulentibus dixit: *Vae vobis, qui ridetis nunc: quia lugentibus & flebitis.* Luc. v. 25. Non esurientibus Justitiam: *Vae vobis, quia saturati estis* (explentes mala vestra desideria: vel vobis ipsis de justitia vestra complacentes, nec ulterius proficere cupientes) *quia esurietis.* Luc. v. 25. Iisdem apud S. Matth. c. 5. v. 20. dixit: *Dico enim vobis, nisi abundaverit Justitia vestra plus, quam Scribarum, & Pharisaorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Non Mundis Corde: *Et tunc* (in die Judicii Divini) *confitebor illis: quia nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Matth. 7. v. 23.

PUNCT. II. Considera quatuor Misérias oppositas illis quatuor Beatitudinibus, quæ amorem erga Proximum perficiunt. Non Iracundis dixit Christus: *utique & non Pacificis: Dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Quia autem dixerit fratri suo: Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, facus: reus erit gehemæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad Altare*

Et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adversarius Iudici: & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Matth. 5. à v. 22. Non Misericordibus dixit: Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Matth. 6. v. 15. Et iisdem apud S. Lucam. c. 6. v. 38. Eadem mensurà, quàm mensi fueritis, remetietur vobis. Non Patientibus persecutionem & maledictionem hominum: *Va cum benedixerint vobis homines.* Luc. 6. v. 26.

PUNCT. III. Compara nunc Iudicium Christi cum iudicio mundi, & considera, quàm verè Beati sint, quos Christus Beatos pronunciat: quàm Miseri verò ij, quos mundus beatos clamat. Quibus DEVS, ac Christus apud Isaiam c. 3. v. 12. errorem detegens, dixit: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* At si Christi Iudicio Fidem & assensum præbemus, cum Baruch. c. 4. v. 4. dicere possumus: *Beati sumus Israël, quia, quæ DEO placent, manifesta sunt nobis: Et cum Psalmista Ps. 93. v. 12. Beatus homo, quem tu erudièris, et de lege tua docueris eum.*

MEDITATIO CCL.

Christus hortatur ad bonum Exemplum Proximo exhibendum. Matth. 5.

PUNCTUM. I. Considera, quomodo Christus enarratis